

Mundus igitur est opus, quoad formam, absolutæ necessitatis, qui talis esse debeat, nec alius esse possit. En igitur operis certo modo determinati absolutam necessitatem! Sed quis ferat hunc hominem mendacissimum, qui id, quod in *Part. 3. Art. 44.* meram hypothesein, & quidem falsam, vocavit, deinceps in certas & immutabiles, a quibus ipsi Deo recedere non liceat, leges commutavit. Tunc adstringes Deum legibus a te fictis? Illis astringe Deum tuum idealem, *naturam* (ut confiteris) *amplæ & diffusæ potentie*, Deum Spinozisticum, non nostrum, qui in cœlis est, & omnia pro liberrimo suo placito operatur.

Tertium est, quod illæ leges necessariae deriventur e perfectionibus Dei, tanquam ex earum fundamento & origine. Sic aperte Cartesius *Method. pag. 27.* *Præterea quænam essent naturæ leges ostendi; nulloque alio assumpto principio, quo rationes meas stabilirem, præter infinitam Dei perfectionem, illas omnes demonstrare studui &c.* Et rursus pag. 39. dicit *se invenisse principia, seu primas causas omnium, quæ sunt in mundo, solum attendendo ad Deum, qui ipsum creavit &c.* Et *Art. 36. 37. Part. 2.* prescius declarat, quænam sit illa perfectio Dei,

VII.
Impri-
mis, quia
eæ e Dei
perfe-
ctionibus
derivantur.